

gloria, ac maiestate, tamen cum sit dies futuri, & ira, sic illum refugit, ac exhorret, doléque super eum; vt dicat se illum nescire; cum enim Saluator sit, nescit iram, non nouit furorem.



CAP. L.

Finale Iudicium.

LUC. 21. n. 25. Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.

VERSIONES.

Syriacus. In Sole, Luna, & syderibus, & in terra angustia Gentium, & complosio manuum præ stupore sonitus maris.

Arabicus. Erit anxietas Gentibus subito præ voce maris, & terræ motus.

Vatablus. In terra anxietas Gentium in perplexitate, resonante mari, & fluctu.

Theophylact. Euthym. Anxietas Gentium per desperationem, resonante mari, & fluctu.

Pagninus. In terra coactio Gentium, in perplexitate resonantis maris, & fluctuum.

Arias. Pressura Gentium in determinatione resonante mari, & salo.

Franc. Luc. ex Græco. Præ perplexitate, resonante mari, & solo.

ALTER TEXTVS.

Matth. 24. Statim autem post tribulationem dierum illorum: Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo.

Marc. 13. In illis diebus post tribulationem illam, Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum.

Num. 25. Et Stellæ cæli erunt decedentes.

EXPOSITIO I.

I. VIXTA D. Matth. ait Christus Dominus: Statim autem post tribulationem. Illam scilicet maximam Antichristi, de qua immediate antea egerat, vt superiori cap. explicauit. Et illa particula, Statim, non significat mox absque vilo temporis intervallo

iudicij ad futura signa, sed ad futura post aliquot menses, & annos. Abulens. Ianfen. & multi alij intelligunt proximè dicta in hoc cap. 24. Matth. de excidio, ac deuastatione Ierosolymæ. Et quauis multa millia annorum inter ipsam deuastationem, ac finem mundi interueniant; ait tamen Christus Dominus, Statim, quia, vt ait Ianfen. omne nostrum tempus in Dei conspectu paruum est. Ait D. Petrus 2. Epist. 3. n. 8. Mille anni tanquam dies hesternæ, quæ præterijt. Vel quia vult Dominus, vt memoria diei iudicij vniuersalis, sic ante oculos nostros obuerteretur; ac si ipse dies statim, ac in proximo sit; & ideo de illo hoc modo loquendi frequenter vitur Scriptura. D. Petrus Epist. 1. cap. 4. n. 7. Omnium finis appropinquauit. Et D. Paul. 1. Corinth. 10. n. 11. ait: In quo fines sæculorum denenerunt. D. Ioan. 1. Epist. 2. n. 18. Falsioli nouissima hora est. Sophonias cap. 1. n. 14. Luxia est dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis, &c. consummationem cum festinatione faciet. Nam, vt ait D. Basil. in cap. 11. Mai. n. 17. Timor iudicij pedagogus est ad pietatem.

Secundò. Erunt signa. Deus cum iratus fuerit misericordiam recordabitur. In tempore tanti furoris, & iræ, immensa Dei misericordia, & clementia maximè elucescit; cum enim non posset Deus iuste punire nulla adhibita præmonitione, tamen ne puniat, prius nos admonet minis, & terroribus. Vide supra cap. 2. n. 19. cap. 12. n. 21. 22. 23. cap. 13. n. 54.

Erunt, apparebunt hominibus: signa, prodigia, ac protenta admiranda præter ordinem naturæ, adeo vt nunquam antea similia visa fuerint, itavt in horrore suo omnium hominum memoriam excedant, ac superent. In Sole, Luna, & Stellis. In maioribus, ac minoribus mundi luminaribus; quod clarius exprimit D. Matth. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo. De quibus multa in quæstionibus: Et in terris pressura. Alij legunt anxietas, angustia, coactio, Gentium, non aliquorum, sed omnium; præ confusione, seu præ perplexitate, seu perturbatione in inopia consilij, ac desperatione rerum, veluti quando in mari nauigantibus naufragium minatur. Syriacus vertit, In terra angustia Gentium, & complosio manuum. Nam in subito, ac vrgenti malo, grauique timore repentino solent homines manus complodere. Sonitus maris, & fluctuum. Magna erit perturbatio in hominibus ex pauore, quam concipient propter sonitus horribiles, & impetuofas commotiones aquarum maris, & fluctuum.

QVÆSTIO I.

Quomodo Sol, & Luna, ac Stellæ obscurabuntur, quàmque terribilem horrorem indicabunt?

Hæc verba: Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, stellæq; de cælo cadent. D. Augustin. Epistol. 80. ad Helychium, & ex eo Beda, Primasius, Andreas Casariensis de persecutione Antichristi, sic exponunt: Sol, Luna, id est, Ecclesia obscurabitur, quia in illa tentatione, ac tribulatione magna, multi viri probi, qui erant tanquam stellæ, à fide, & gratia, ac consequenter à cælo, ac salute excident. Hic senius

Abulens. Ianfen. Matth. 24.

2. Petr. 3. Memoria in diej habenda.

1. Petr. 4. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 2.

Sophon. 1.

Basil.

2. Deus ne puniat, nos admonet.

3.

Matth. 24.

Syriacus.

4.

August. Beda. Primas. Andra.

senfus est allegoricus, & non literalis, vt est euidentis, & omnes fatentur.

D. Hilarius can. 26. in Matth. D. Chrysostr. D. Hieron. Beda. Albert. Magn. in cap. 24. Matth. D. August. ferm. 130. de tempore. Eusebius Emyfenus homil. in Dominic. 27. post Pentecost. D. Thom. opuscul. 10. art. 36. putant hæc signa fore in ipso die iudicij, scilicet quod Christus adueniens tanto lumine radiabit, ac totum Orbem suis radiis perstringet, vt sua claritate obscuret fulgorem Solis, Lunæ, & Stellarum. Quam sententiam etiam docet D. Paschal. lib. 11. in Matth. In comparatione vera lucis, ait, omnia cæli luminaria sic futura prophetantur, ac si tenebrosa: non in sua natura, sed ad fulgorem æternæ lucis comparata valde obscura erunt. Cum radiat Dominicæ gloriæ lumen, sub eius aspectu omnia creata decora, & lumina prorsus disparent. Origenes verò tract. 30. in Matth. existimat Solèm, Lunam, & Stellæ obscurandas esse à fumo, qui procedet ab igne conflagrationis mundi.

Tamen quod hæc signa in Sole, Luna, & Stellis fore præuia iudicio, ac consequenter aduentum Christi clarè patet ex Ioel. cap. 2. n. 31. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et D. Lucas in præsentia: Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Et D. Matth. 24. n. 29. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stelle cadent de cælo: tunc plangent omnes tribus terre, & videbunt Filium hominis.

Sol ergo, & Luna, ac Stellæ in seipsis antè aduentum iudicij obscurabuntur. Quomodo ergo inquiri præsens difficultas. Pererius in cap. 6. Apocal. n. 12. & probabile etiam iudicat Cornel. ibi inquit, quod per extraordinarias eclipfes obtenebrabuntur, quod desumptum est ex Lactantio lib. 7. cap. 16. de Sole, & Luna, sic ait: Motus extraordinarios peragent, vt non sit hominis promptum, aut syderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Suar. tom. 2. ad 3. p. disp. 56. sect. 3. §. Tertia expositio; quod cum corpora cælestia obscurantur ad augendam angustiam, & hominum terrorem, sine dubio videtur futura maior obscuritas Solis, quam per solam naturalem eclipsem effici possit.

Dicendum mihi videtur, quod verè in seipsis obscurabuntur cælestia corpora, vt docent Abulens. in cap. 24. Matth. quæst. 155. Carthusian. in cap. 21. Luc. & communiter Recentiores, Maldonat. Francisc. Luc. Cornel. vel vt volunt Dominicus Soto in 4. d. 46. q. 2. art. 2. Ribeira in cap. 6. Apocal. per densitatem nubium, quas Deus inter cælestia luminaria, ac terram intericiet; vel vt docent Rabanus in cap. 24. Matth. & refert, & non improbat D. Thom. in 4. d. 48. quæst. 1. art. 4. quæst. incul. 2. quod Deus suspendet non lumen, sed illuminationem Solis, & astrorum, nimirum negando luci Solis, & astrorum concursum ad illuminandum, ad radiisque suos spargendos, ac proinde quauis in Sole sit lux, in terra verò erunt densissimæ tenebræ per totum Orbem.

Hic autem secundus modus dicendi semper est admittendus, quia de his signis scribit Ioannes in Apocal. cap. 6. n. 12. Et ecce terræ motus factus est magnus, & Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis. Si ali-quod corpus fuerit interpositum ipsa cælestia

Sylueira in Euang. Tom. 17.

astra non percipientur ab hominibus. Ergo cum ad maiorem horrorem, & confusionem percipiuntur, non erit aliquod obstaculum in medio. & hæc sententia est de mente Caietan. in cap. 13. Marc. Sol apparebit niger tanquam saccus cilicinus, seu indutus cilicio, quod componitur ex nigris pilis, hocque habuit Sol funebrem sententiam Orbis declarabit. Lunæque erit sanguinea ad significandam diuini iudicij seueritatem; sicque astra horribilia apparebunt, & cum non habeant concursum ad illuminandum, in toto Orbe erunt caliginosa, ac densissimæ tenebræ; itavt videatur terra redacta ad illam suam primæuam antiquam confusionem, antequam lux crearetur. Et tenebræ erant super faciem abyssi, Genes. 1. n. 2. Et merito, quæ enim data luce ex diuina benignitate non valui proficere in sui dolorem, & confusionem illi aufertur. Vide supra cap. 17. n. 105. 106. & 107. & cap. 18. n. 74. 75. 76.

Hæc tenebræ erunt grauissimæ, quales nunquam antea fuerunt, totum enim Orbem oppriment, vt est communis sententia. Olim fuerunt tenebræ in solo Ægypto, & in morte Christi in Iudæa tantum, vt volunt Origenes, Maldonatius interpretantes illud Matth. 27. n. 45. Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, scilicet Iudææ. De quo suo loco; secundum hanc ergo sententiam pro luctu mortis Filij Dei sunt tenebræ super Iudæam, at pro ostendenda grauitate nostrorum peccatorum, ac seueritate diuini iudicij super totam terram, tantis facit Deus, vt homines ad penitentiam reducat; quod statim quæst. seq. magis confirmabitur.

QVÆSTIO II.

Quanto tempore hæc horribiles tenebræ durabunt, quibus cælestia astra appetum abscondi ab ira Dei?

Abulens in cap. 24. Matth. quæst. 161. existimat, quod tenebræ non durabunt per duos, vel tres dies, quia tunc per tantum temporis spatium inducent periculum omnibus viuentibus, & alterentur dispositione pessima. Nam astra cælestia per suam lucem, ac radios communicant suas influentias. Vnde cum pro tunc non luceant, & illas non infundent in sublunariibus, ex quo concludit. Erit tanti temporis duratio, vt credatur verisimiliter esse signum rei maximæ: & tamen non destruent viuentia, hoc tempus satis est trium, vel quatuor horarum, quia tunc per omnes terras poterit manifeste videri. Et potest confirmari hæc sententia ex eclipfi, quæ in Domini morte contigit, tunc enim sol obscuratus est à sexta hora vsque ad nonam, Matth. 27. num. 45. hoc est, per tres horas, sic & ante iudicium tribus horis obtenebrabitur.

Mihi tamen est probabilius, quod tenebræ excidij Orbis per plures dies, & horas sint duraturæ, quod etiam placet Barradas hic; nam in Ægypto per tres dies duratur: Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus, Exod. 10. n. 22. Ergo tenebræ pro exterminio Orbis per totidem, vel plures dies durabunt. Quod verò obicitur. Si tot diebus durent periculum viuentibus allaturas simul cum alteratione pessima. Concedimus; & hoc non mirum est cum

Horribiles tenebræ per suspensionem concursu. Caietana.

Gen. 1.

10.

Origen. Maldon. Matth. 27.

Horribiles tenebræ iudicij.

Abulens.

Per tres, vel quatuor horas.

Matth. 27.

12.

Barrad. Exod. 10.

Per plures dies.

Origen. Maldon. Valde horribilia iudicij signa.

13. Pluribus obscurabitur.

14. Sol, & Luna a furore iudicij intentant se abscondere.

Ioel. 3.

Hieron.

15.

Apocal. 6. Prae furore iudicij caeli fulgere intentat.

Poterius.

Oleaster.

cum omnia viuientia sint peritura, & cum simili perniciem in Aegypto attulerint. Quod etiam obicitur de eclipfi, quae facta est Domino crucifixo. Dicimus quod durauerit tribus horis ex myfterio; Tenebrae autem exterminij Orbis per plures horas, & dies se extendent, sicut tenebrae in morte Christi iuxta Origen. Maldonat. datos superior. quae fuerunt in sola Iudaea, in fine vero mundi erunt per totum Orbem; sic etiam & in morte Christi mare, & flumina non dederunt terribiles sonitus, vt dabunt in fine mundi. Prae confusione sonitus maris, & fluminum. Maiora signa dabunt pro furore, ac seueritate iudicij declaranda, quam pro luctu, & mero ediderunt in sui creatoris morte. Diuina Sapiencia sic disponente, vt exinde deprehendatur grauitas nostrorum peccatorum, ac seueritas, & furor iudicij venturi, vt poenitentia, ac dolore ab illa caueamus.

Imò cum Euangelista dicat: Erunt signa in Sole, & Luna. Existimo quòd non per vniam vicem, sed per multa Sol, & Luna obscurabuntur; non ait, erit signum, sed erunt signa. Ac proinde multipliciter obscurabuntur partim per extraordinarias, & miraculosas eclipfes, partim per densitatem nubium, partim etiam per suspensionem diuini concurfus ad illuminandum, ac suos radios immittendos.

Tot, tantisque modis caelestia astra quosdam innato appetitu se volunt subtrahere, abscondere, & fugere ab ira iudicij venturi, cuius tantum furorem non audent aspicere, nec coram illo astare; inde retrahunt suum splendorem, sicut homines in graui metu solent colorem mutare, & expalescere. Sic illa verba Ioel. 3. num. 15. Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stella retraxerunt splendorem suum, interpretatur D. Hieron. ibi de extremo iudicio: Cuius mœrorem, ait, & tormenta, pereuntium, nec Sol quidem, nec Luna, astrag, caetera intueri poterunt. Sed retrahent fulgorem suum, & seueritatem iudicantis non audebunt aspicere.

Aperto sexto sigillo, ecce terramotus magnus factus est, & Sol factus est niger, &c. Et subdit: Caelum recessit sicut liber inuolutus, Apocal. 6. n. 14. Syriac. legit: Caeli separati sunt, sicut liber inuolutus, Arabicus: Caelum inuoluetur quasi charta. Quis vnquam talia audiuit caelum a loco suo moueri, ab eoque recedere, caelisque a se inuicem esse separatos, & ipsos caelos maximè extensos, Qui extendis caelum sicut pellem, sic inuolui, ac replicari inter se tanquam papyrum, & chartam, ad quid tendunt tot miranda, & stupenda? In apertione sexti sigilli explicabatur tribulatio excidij mundi, ac consummationis illius, aduentusque iudicij, cuius furorem, ac iram cum presentirent caelestia, ac si eam ferre non possent, ad fugam se accingunt, a suoque loco recedere parant, inter sese maximè inuolui, ac replicari intentant, futorens iudicij ferre non audentes. Forerius in cap. 34. Isai. Obscuratorem, ait, luminarium caelestium notant haec, qua nihil aliud, quam supremam tristitiam, & rerum aduersarum quandam inundationem esse, atque hoc est, quod Euangelista docent, Solem obscurandum, & Lunam retrahentem lumen, & Stellae de caelo ruituras, & Ioannes in Apocal. Caelum recessurum. Oleaster: Possimus dicere, ait, caelos complicandos propter tristitiam cladis, quemadmodum apud Ezechielem dicitur abyssus lugere propter Aegyptiorum destructionem. Si creaturae insensibiles ita commouentur a facie irae Dei, cum

non sint iudicandae, qualiter debet commoueri homo, qui ante tribunal Domini iudicandus stabit?

QUESTIO III.

Quare Sol, & Luna, ac Stella obscurabuntur?

RESPONDET primò D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 49. quod pulcherrimae caeli faces obscurabuntur: Aut propter indignam persecutionem Sanctorum, aut dolentes, aut super impiorum pessima opera indignantes: aut nouissimam Dei iracundiam demonstrantes, vt adhuc viuentibus impijs super terram, iam gustus detur infernalium tenebrarum. Sol erit niger sicut faccus cilicinus, Luna tota facta est sanguis, & Stella sic erunt trementes, vt videantur cadere, vt sua nigredine, colore sanguineo, ac tremore districam iudicij iram, magnamque stragem, ac excidium impiorum denuntient, significantes eorum gaudium iam obscurari, ac finiri, ita vt ipsi adhuc viuentes infernales tenebras degustent. Adhuc viuentibus impijs super terram, iam gustus detur infernalium tenebrarum. In poenam Pharaonis regis Aegyptiorum, ait Deus per Ezechiel. 32. num. 7. Operiam caelum, & nigrescere faciam stellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria caeli mœrere faciam, super te: & dabo tenebras super terram tuam. Vt tota terra tua ita reddatur tanquam tenebrosus carcer inferni, & luminaria caeli, quae creata sunt ad hominis oblectamentum, peccatori inferuiant ad tristitiam, mœrorem, & angustiam.

Secundò. Abulens. quæst. 182. Quod sient hæc signa ad indicandam ipsius sæculi consummationem quantum ad modum, & statum, quem nunc habet, ac proinde, cum ipsa fuerint creata pro mundi præcipuo ornatu in illius consummatione, ac excidio lugere, vestique lugubri se induere videantur. D. Chrysostom. citat. Patrefamilias, ait, moriente tota domus eius turbatur, omnis familiaria plangit, & confissis unicus suis nigris se cooperiunt vestimentis: sic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, & vniuersa caeli ministeria lugent, & candore deposito pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur.

Tertiò. Palatius: Tantis tenebris, ait, mundus tegitur, ubi index venit iratus, non est opus suum irasci, punire, condemnare, alienum opus ab eo. Quorsum in die iudicij tanta tenebrarum caligo mortalium oculos obcaecabit, venit Deus homines puniturus, inde cuncta tenebris inuoluuntur, ac si quodammodo puerit Deum optimum irasci, punire, & flagellare; de extremo iudicio loquens Isai. 13. n. 9. ait: Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & ira, furorisque ad deponendum terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam stelle caeli, & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo. Ecce omnia caelestia luminaria retrahent suos radios ne luceant, & quamnam huius rei causa? Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus. In quo acerbissimè in hominum scelera animaduertetur. Indice furibundo, & misericordiam

16.

Chrysost.

Gustabunt viuentes inferni tenebras.

Ezech. 32.

17.

Abulens.

Lugent astra.

Chrysost.

18.

Palatius.

Obscuratur Sol ne Deus rigide puniat palam videatur.

Isai. 13.

Damian.

19. Exod. 12.

Gen. 19. Cum Deus castigat se abscondit, ne pateat videntur.

20. Cyrill.

3. Reg. 19.

21. Erubescunt sidera horrore peccatorum.

Jerem. 4. Isai. 13.

Paschal.

22. Ant. Vlyss.

1. Thess. 5. Homines inopinatus aduentus Domini. Chrysost. Decumen.

23. Gen. 1.

diam nesciente: vt ait Petrus Damian. serm. 43. Ideo Deus ostentans suae iustitiae rigores sese densis tenebris abdit, ac si ipsum excellens bonum iustitia prae misericordiae magnitudine, quodammodo erubescat.

Et ideo cum Deus punire disponderet primogenita Aegypti, summa id nocte aggreditur. Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, Exod. 12. n. 29. Vt sub tenebrarum caligine ne videretur Deus puniens. Dices, pluit Dominus ignem, & sulphur super Sodomam, & Gomortham cum Sol egressus super terram, Gen. 19. n. 23. Ergo Deus cum supplicia infert, non interponit tenebras, vt sese abdat. Respondeo, quòd ideo in illis vrbibus castigandis expectauit Solis ortum, vt flamma ignis Sodomam comburens radiis Solis occultaretur, ac minus appareret. Ignis enim nocte multum resplendet, radiis vero Solis suffocatur, & absconditur.

Quartò. Cyrillus Hierosolymit. Cateches. 15. Non iriscentur, ait: homines scilicet, tanquam soli morientes, cum & astra moriantur. Caelestium ruina, ac iactura proponitur, ne homo sua ruina tristetur, cum videat ipsam cum astris esse communem; hoc etiam ex diuina benignitate homini datur solamen, cum videat in tanta pressura se non esse solum, sed secum in societate astra habere. Fugiens Parens meus Elias, ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quam Patres mei, 3. Reg. 19. n. 4. Quomodo vit magnus optabat prae properam mortem? Ne mireretur sic ab eo mortem expetitam esse, ostendit sibi in eo nihil optasse, quod non esset parentibus suis commune, neque enim melior sum, quam Patres mei. Vt inde tota rei concupitæ acerbitas concideret, ac minueretur.

Quintò. D. Antonin. 4. p. Sum. titul. 14. cap. 11. §. 2. hanc assignat rationem. Sol, Luna, & Stellae visis tot, tamque enormibus hominum sceleribus ab initio mundi ad finem vsque perpetratis tanquam erubescens, quòd talibus Dominis tam impijs seruirent, & ad eorum scelera lucem praebuerint, absconderunt radios suos ne lucrent. Pro grauitate peccatorum Hebraeorum, ait Jeremias 4. num. 23. Aspexi caelos, & non erat lux in eis. Et Isaias supra citatus cap. 13. num. 10. sic introducit Deum loquentem: Operiam caelos, & nigrescere faciam Stellae eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Cur caelestia astra sic trahunt suum splendorem? D. Paschal. lib. 11. in Matth. Horrore peccatorum abscondunt lumen suum.

Sextò. D. Anton. Vlyssip. Domin. 1. Aduentus, Tot signa praecedent, vt his homines admoneantur, vt respiciant, & poenitentiam agant, de quo quæst. 9. dicam. Quomodo tot signa, cum Apostolus dicat 1. ad Thessal. 5. num. 2. Dies Domini, sicut fulgur in nocte, ita veniet. Hoc est, dies aduentus Domini erit tam subitaneus, ac inopinatus praeter omnium expectationem sicut fur in nocte, vt explicant D. Chrysostomus, Oecumenius, ac communiter Interpretes. Sed tot signis excitantibus, ac prouocantibus erunt homines dormientes, ac sopiti in suis peccatis, & delictis, vt illis sic aduentus Domini erit tam subitaneus, vt fur in nocte adueniens.

Septimò. Sol, & Luna tanquam principes, ac gubernatores creati sunt a Deo. Sol, vt praesert diei, Luna, vt praesert nocti, Gen. 1. n. 16. Cum

ergo inferiora sublunaria conturbantur, etiam ipsi perturbationem patiuntur, vt eorum exempla principes saeculi imitentur, vt suorum ruina, ac casum sentiant, de illisque vt propriis doleant, & affligantur. Vide supra cap. 40. n. 40. & 41. cap. 41. n. 17. & 19.

Octauò. Sol, & Luna lucidissimi, ac praestantissimi principes mundi, & tamen radios suos deponunt, splendorem contrahunt, vt Deo venienti ad iudicium ministrent, & obsequia praestent, vt inde instruantur principes, ac magnates saeculi, vt pro Dei obsequio omne suum splendidum ornatum deponant, & abiciant. Lugentibus Niniuitis ad Ionæ praedicationem peruenit verbum ad regem; tunc ipse: Surrexit de solio suo, & abiicit vestimentum suum, Ion. 3. num. 6. Cum audit verbum, non moratur, nec recogitat regalem pompam, sed solum, purpuram, ac omnem ornatum abiicit, vt in poenitentia Deo der obsequia. Audiunt hoc reges, & principes, vt pro Deo in suorum afflictione cuncta paruipendant, & omnique regia dignitate obliuiscantur. D. Ambros. serm. 40. Sapiens rex, ait, qui pro salute cuius peccatorem se magis confitetur, quam regem. Obluiscitur enim se regem esse, ubi Deum regem omnium pertimescit, nec poenitentia suae meminit, ubi potentiam diuinitatis agnoscit. Obluiscitur ergo se regem esse dum proicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco. Pro quo etiam facit, quòd Dauid accinctus Ephod lineo saltabat coram atea, 2. Reg. 6. n. 14.

Nondè. Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis. Quae propter hominis obsequium fuerant creatae, tamen contra impios pro Deo militabunt, aduersusque eos insurgent pugnautes pro suo creatore. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Sicut enim Deus suo imperio cuncta fecit, sic & eodem imperio cuncta potest delere. Cur ergo ad hoc exequendum creaturas assumpsit? Vt ignem aduersus Sodomam; aërem diffusis tenebris aduersus Aegyptios; terram contra Darhan, & Abiron; & aquas aduersus peccatores in diluuio. Nisi tantum vt agnoscas omnes creaturas vltices esse iniuriae commissa in suum creatorem. Hugo ad cap. 7. Gen. ad illa verba: Aqua inundauerunt. Sic ait: Hoc factum est, vt creatura creatoris iniuriam in homines vindicaret. Armabit creatura ad ultionem inimicorum.

Ob fratrem suum interfectum punitur Cain à Deo dicente: Maledictus eris super terram, Gen. 4. num. 11. Septuaginta legunt: Maledictus à terra; hoc est, à terra maledictus eris. Cur peccator maledictus describitur potius à terra, quam à caelo, vel aëre? Terra infima est pars mundi, ab ea potius dicitur Cain maledictus, quam ab alia quacumque parte; vt agnoscat peccator vniuersum Orbem aduersus eum insurrecturum; si enim vilior, & abiectior pars, vt pote terra, quae tanquam communis omnium patens debebat ei esse benignior, tamen non finit delinquentem esse pacificum, & quietum, sed maledictionibus eum prosequitur, qualibuscumque execrationibus in eum insurgent superiores creaturae, quando omnium infima sic eum maledictione infectatur. D. Ambros. lib. de Cain, & Abel cap. 9. Huiusmodi peccator, ait, à terra maledictus est, quae infima, & postrema pars mundi; superius vtrique caelum, & quae in caelo sunt, Sol, Luna, Stella, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates, Cherubim, &

Refores mœdi suorum cladis tangantur.

24.

Ion. 3.

Principes pro Dei causa regale supercilium deponant.

Ambros.

2. Reg. 6.

25.

Creatoris iniurias vindicant creaturae.

Hugo.

26.

Gen. 4.

Septuag.

In peccatore creatura insurgit.

Ambros.